

sicut ipse pollicetur et dicit: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Potest vero, fratres dilectissimi, et ipse Christus esse regnum Dei, quem venire quotidie cupimus, cujus adventus ut cito nobis repraesentetur, optamus. Nam cum resurrectio ipse nostra sit, quia in ipso resurgimus, sic et regnum Dei potest ipse intelligi, quia in illo regnaturi sumus. Bene autem regnum Dei petimus, id est, regnum coeleste, quia est et terrestre regnum. Sed qui renuntiavit jam saeculo major est et honoribus ejus, et regno. Et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed coelestia regna desiderat. Continua autem oratione et prece opus est, ne excidamus a regno coelesti, sicut Judaei, quibus hoc prius promissum fuerat, exciderunt, Domino manifestante et probante: Multi, inquit, venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno coelorum. Filii autem regni expellentur in tenebras exteriores. Illic erit ploratio et stridor dentium. Ostendit quia ante filii regni Judaei erant, quando et filii Dei esse perseverabant. Postquam cessavit circa illos nomen paternum, cessavit et regnum. Et ideo christiani, qui in oratione appellare patrem Deum coepimus, nos et ut regnum Dei nobis veniat oramus. — Addimus quoque et dicimus: Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra: non ut Deus faciat, quod vult, sed ut nos facere possimus, quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quo minus quod velit faciat? Sed quia nobis à diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus et petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quae ut fiat in nobis opus est Dei voluntate, id est ope ejus et protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est. Denique et Deus infirmitatem hominis, quem portabat, ostendens, ait: Pater, si fieri potest,